

gravitatis, quibus eorum quodvis suo loco, suoque motu ordinario atque perpetuo contineri solet, absolutum esse, mente concipio. Non solum permittit, sed etiam iubet tremoris notionem vocabulum שׁוּרָב ab Haggaeo adhibitum, uti inter omnes constat, & inprimis Ioelis II, 10. confirmatur. Praeterea ex ea descriptione commotionis coeli, tempore novissimo futurae, quam Iesus Matth. XXIV, 29. Marc. XIII, 28. suppeditavit, ea huc transferre licebit, in quibus tam haec, quam illa convenit. De illa vero praedixit, fore, ut coeli virtutes commoverentur; ideoque & de hac, quae illi, quod ad modum attinet, non potest non esse simillima, colligimus, quod vires gravitatis, quibus omnia in coelis corpora continentur, ea commotione magnopere fuerint afflictae, ut hanc quasi praesensionem certissimam haberent futurae commotionis, qua ipsis interitus parabitur. Quod si igitur & aër & solida coelorum corpora omnia sunt gravissime commota, probabile est, & coelites, & genios & daemones, ac si forte ibi essent animalia PHILONIS (5) quae oculis humanis deprehendi non possint, brevibus, omnia simul uno impetu, vehementissime agitata fuisse atque concussa. Inprimis vero sol ac luna commotionem eam persenserunt, sol medio die quasi extinctus, luna vero loco suo, quem plena tum tenebat, mota, & cum sole ut congregaretur, contra naturam atque ordinem motus proprii, quo non ab ortu ad occasum, uti tunc necessario factum est, sed ab occasu ad ortum fertur, coacta, ac, quo propius soli admovebatur, ipsa lumine orbata; deinde vero in pristinum locum reducta, ac, quo longius recedebat a sole, sensim sensimque illustrata, ut iter illud stupendum, quod alias quatuordecim circiter dierum spatio emetiri solet, tum, & quidem bis, trium aut quatuor horarum spatio emensa fuerit. En tot tantasque coeli, Iesu moriente,

(5) *De Gigantibus* opp. pag. 285.